

more solito genuflexione, extrahit, super Corporale in medio deponit, operculum aufert, iterum genuflectit, et erectus seu potius parum inclinatus Particulas residuas sumit. Postea tenens Pyxidem ad nodum sinistra manu, pollice et indice dexteræ fragmenta diligenter colligit et in Calicem mittit; quo facto, parum vini in eam infundere facit, circumagit, totam illius partem interiorem, sine tamen multa gesticulatione, indice abluit, vinum in Calicem transfundit et cum purificatione Calicis sumit ¹. Denique Pyxidem purificatorio extergit, extra Corporale ponit, et Missam prosequitur.

CAPUT III.

DE DISTRIBUTIONE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE EXTRA MISSAM.

1154. Sacerdos extra Missam Communionem daturus, lotis prius manibus et superpelliceo ac Stola coloris Officio illius diei convenientis indutus, ad Altare accedit, in quo duo cerei ardere debent, bursam cum Corporali ante pectus deferens ². Ibi post factam debitam genuflexionem, et Corporali extenso, collocat se in medio Altaris, donec Minister (qui convenienter cotta indutus esse potest iuxta locorum consuetudinem), a parte Epistolæ genuflexus, dicit voce intelligibili *Confiteor*.

¹ Hic modus purificandi Pyxidem magis securus et conveniens est, quam si sine infusione vini in eam fragmenta solis digitis colligerentur, cum quasi impossibile sit, etiam minima fragmenta videre et colligere.

² S. Rit. C. 12 Martii 1836.

1155. Eodem tempore Sacerdos ostiolum Tabernaculi aperiens, genuflectit, extrahit Pyxidem eamque aperit, operculum super Corporale ponit, iterum genuflectit, et manibus iunctis ante pectus, et in cornu Evangelii versus ad communicandos dicit: *Misereatur et Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum*, etiamsi unus tantum communicetur, manu dextera faciens signum Crucis super communicantes. Minister manet inclinatus, donec responderit *Amen* post *Misereatur et Indulgentiam*.

1156. His absolutis, per eandem viam revertitur et reliqua distributionis SS. Eucharistiae, ut num. 1071 et seq. dictum est, perficit.

1157. Sacerdos advertat, ne praecipitanter sacram Eucharistiam distribuat: est enim Ministerium sanctissimum omni possibili attentione et devotione pertractandum; neve oculis per Ecclesiam vagetur, sed eos demissos et ad SS. Sacramentum intentos habeat.

1158. Advertat quoque, ne digitis inferioribus tangat faciem communicandorum: quapropter sub porrectione sacrae Hostiae eos inflectat, et quasi infra pollicem et indicem supponat.

1159. Si in eodem aut proximo Altari celebretur Missa, et SS. Sacramentum elevetur, ac contra ipsum transire debeat, non genuflectit, sed se vertit ad Altare, et erectus cum Pyxide in manibus tantisper subsistit, donec Elevatio sit peracta.

1160. Finita Communione, Sacerdos ad Altare reversus Pyxidem super Corporale deponit, genuflectit, diligenter advertit, an aliquod fragmentum digitis adhaerit, et illud in Pyxide deponit, digitos, quibus tetigit

SS. Sacramentum, in vasculo apposito abluit et purificatorio abstergit. Interea claudit Pyxidem, facta genuflexione, et dicit Antiphonam: *O sacrum convivium* etc., *Ÿ. Panem de coelo* etc., (tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi, utriusque addens *Alleluia*¹); deinde adiungit *Ÿ. Domine exaudi* etc. *Dominus vobiscum*, facie ad Altare versa: *Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento* etc., cum conclusione longa²; cuius loco tempore paschali dicitur Oratio: *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde* etc. *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

1161. Oratione dicta, Pyxidem coopertam in Tabernaculo reponit, factaque genuflexione, clave obserat. Statim, sine Altaris osculo, manus extendens et una cum oculis elevans, dicit: *Benedictio Dei omnipotentis* etc.; tum manibus reiunctis, Cruci caput inclinat et conversus ad populum subiungit: *Patris et Filii* etc., et super communicatos signum Crucis efformat ut in fine Missae: quod etiam observatur, si Communio immediate ante vel post Missam datur. Postea ad Altare iterum conversus, plicat Corporale et in bursa reponit; tum portans bursam cum debitis reverentiis ab Altari discedit.

1162. Si quae Hostia, dum fit Communio, deciderit in terram, reverenter eam Sacerdos accipiat, et locum, in quem ceciderit, obsignet atque aliquid interim superimponat: opportuno postmodum tempore abradat et abrasionem in Sacrarium proiciat. Si ceciderit supra mappam, huiusmodi mappa signetur, et postmodum di-

¹ S. Rit. C. 2 Iun. 1883, in una Cuneen. ad XI.

² S. Rit. C. 24 Septemb. 1842, in una Tert. Ord. ad 3: et 11 Iun. 1880.

ligenter lavetur: ipsa vero lotio in Sacrarium proiciatur. Si in vestem mulieris ceciderit, ab ipsa extrahatur et sumatur.

1163. Quando digiti Sacerdotis sunt saliva communicantium humefacti, non eos, saltem ex qua parte sacras Particulas attrectat, ad purificatorium abstergat, ne fragmenta consecrata digitis forte adhaerentia extergat: sed redeat ad Altare et illos abluat in vasculo ibi praeparato, et tunc purificatorio abstergat. Ita S. Carolus, de S. Communione.

1164. Sacra Communio extra Missam eodem temporis spatio ministrari potest, quo celebratio Missae permittitur, id est ab aurora ad meridiem, nisi obtentum fuerit Indultum tempus illud prorogans¹. Hinc eam ministrare non licet in nocte Nativitatis Domini², nisi habeatur specialis concessio S. Sedis; nec a repositione SS. Sacramenti post Missam Feriae V in Coena Domini, usque post Missam in Sabbato sancto, nisi periculose aegrotantibus per modum Viatici³.

1165. Quoties S. Communio extra Missam distribuitur, semper, etiamsi expositum esset SS. Sacramentum, communicatis benedictio ut supra danda est. Haec benedictio dari non potest cum Pyxide; neque formulae *Ecce Agnus Dei* et *Domine, non sum dignus* in idiomate vulgari dici possunt⁴.

1166. Clerici et Religiosi in gradibus Altaris vel saltem prope Altare sacram Communionem suscipiunt, et

¹ S. Rit. C. 7 Sept. 1816, ad 37.

² S. Rit. C. 18 Septemb. 1781.

³ Vide die Parasceve et Sabbato sancto huius Caeremonialis.

⁴ S. Rit. C. 16 Septemb. 1736: et 23 Maii 1835.

quidem Sacerdotes Stola induti; Laici vero saeculares genuflexi non ad Altare vel in Presbyterio, sed ad mensam seu ad cancellos communicandi sunt, nisi forte Altari inserviant. Communio prius ministranda est inservientibus quam aliis ratione ministerii.

1167. Quando Episcopus sacram Communionem ministrat, omnes communicantes, tam de Clero, quam de populo, et etiam Magistratus, ante Communionem osculantur manum Episcopi.

1168. Diaconus in Ordine tantum Diaconatus, extra casum necessitatis Communionem Fidelibus distribuere non potest.

CAPUT IV.

DE EXPOSITIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

1169. Cum expositio SS^mi Sacramenti solemnissimus actus eucharisticus sit, ideo tunc tantum exponi potest, quando gravis et iusta causa habeatur, et ubi debitus ipsi honor debitaque reverentia exhiberi possit, tum decenti apparatu Ecclesiae, Altaris, paramentorum, tum numero Ministrorum et adorantium frequentia.

§ I. — De servandis in expositione privata SS^mi Sacramenti.

1170. Privata expositio est illa, quando ex privata, gravi tamen causa, v. gr. pro aliquo infirmo etc., SS^mum Sacramentum exponitur.

1171. Haec expositio propria auctoritate Rectoris Ecclesiae, respective Superioris Regularis fieri potest; sed cum parum et paucis in locis sit in usu, aut non est introducenda, aut magna tantum cum prudentia.

1172. In hac expositione Sacerdos superpelliceo et Stola albi coloris sit indutus; cum ad Altare accedit, ipsum praecedant duo Acolythy cum thuribulo et navicula, còttisque induti. Altare sit debito modo ornatum, et in ipso saltem sex ardeant candelae.

1173. Cum ad Altare more solito pervenerit, Sacerdos genuflectit cum Ministris, Altare ascendit, Tabernaculum aperit, Pyxidem seu Ostensorium velatum tamen sub ostiolo ponit, quin e Tabernaculo extrahat; iterum genuflectit, ad planum descendit, ambobus genibus genuflectit, surgit, incensum iniicit in thuribulum, genuflexusque de more ter Sanctissimum incensat, servatis solitis inclinationibus ante et post thurificationem, et Acolytho restituit thuribulum.

1174. Postea recitat genuflexus super infimum gradum preces necessitati congruentes, dummodo sint ex approbatis¹, quales sunt ex. gr. Litaniae Lauretanae, *Pange lingua*, *O salutaris Hostia*, preces et Orationes, quae in Missali et Rituali Romano etc. inveniuntur.

1175. Cum privata SS. Sacramenti expositio fieri possit etiam pro Defuncto vel pro Defunctis, licet recitare Ps. *Miserere* vel *De profundis* et in fine adiungere *Requiem aeternam*, *A porta inferi* etc., ubi scilicet talis consuetudo viget².

¹ S. Rit. C. 31 Aug. 1867, in Mechlinien., ad 9.

² S. Rit. C. 16 Decemb. 1828, in Volaterrana, ad 5.